

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 95. (*Neovidensis* 1807. Nro. 94.)

*Politica vita functorum colloquia.*

Elysiu-Meum. - Die Martis 8. Dec. (*Neovid.* 24. Nov. 1807.)

Aequam memento rebus in arduis  
Servare mentem, non secus in bonis  
Ab insolenti temperatam laetitia.

*Horat.*

*Colloquentes Manes.*

*Pegasus. Henricus a Bülow.*

**P**egasus Inside dorso meo, dilecte Bülow!  
superiora tecum petitarus sum.

*Bülow.* Ast quo? alacris Pegase!

*Pegasus.* Illa ad excelsa, inter Prophetas;  
scripta a te punctum ferent nuno: Prophetarum  
& vatum Choro inserere: omnia, quaecun-  
que vaticinabare, eventus comprobavit.

*Bülow.* Et ipsam hanc ob causam, quod  
vere prædivinavi, carceri mancipatus, aerum-  
nis objectus sum; Absit! alacris Pegase! ab-  
sit! vates augurque nolo esse posthac am-  
plius; at unum te requirendum habeo.

*Pegasus.* Quod illud? tuum est dilecte!  
quod optes, explorare, mihi jussa capessere.

*Bülow.* Veteres humanis scientiis & ar-  
tibus in Parnasso Deas seu Musas commen-  
tati sunt, at una princeps scientiarum Mu-  
sa destituitur, videlicet *Politica*, quotidianus

ille equus, in quo omnes Ephemeridum & novorum scriptores equitant. Subjice sis dorsum auctori Minervæ, eumque Parnasso infer, & Politica inter Castalidas novo gaudebit Apolline.

*Pegasus.* Quæso, percære Bülow! Minerva *Cel. Archenholtz* nequaquam est cerebro Jovis; verum ex versionibus exoticatum quarundam ephemeridum, & libellorum emanavit, neque quidquam prænuñciavit, quemadmodum tu prænuñciabas; solummodo *post factum* vaticinabatur, infortunio jam peracto; neque exemplar exactissimæ & omnibus numeris absolutæ sapientiæ unquam indicavit. Minerva Jove nata aliquando ob abusum nominis sui borealem hunc Minervæ auctorem in pœnam ad exemplum Tiresiæ, qui lavantem eam intuitus, oculis aut digitis multabit. Fortassis prout Ajacem, quod in nomen ejus sacrilegus fuerit, vita privabit. — Absit! absit! Parnasso non inferam; potius sepulchro Monarchiæ Borussicæ, quod ipse paraverat. — Audi enim! Generalis Dux *a Thiele* Vratislaviensis arcis Præfectus occasione oppugnationis in Ephemeridibus Berolin. prolixam texit apologiam; in argumento accusationum & querelarum in Ephemeride *Minerva* adversus se scriptarum, ad quam *Telegraphus* adnotat; Profecto res ardua, se peracta animi, quam quisque Jure naturæ prætereendere valet, probitatem & honestatem æstimatorum virorum inficiari; res admiratione dignior fuisset, si ita dicti *militares Critones* ante biefinium,

aut triennium prudens, aut doctum consilium suppeditare voluissent, qua ratione adversis casibus, quos pro sua sapientia lacesunt, perstringuntque, certissime & opportunissime occurri possit.,

*Bülow.* Deduc eum igitur ad patriam familiarum — hic ei suus ex merito locus, ego interea nova dispiciam —

*Madridi die 7. Nov. (Ex Monitore) Die 6. h. m.* Rex sequens Decretum interimali Governatori Supremi Consilii Castiliæ transmisit: „Vox naturæ vindictæ brachium armis exiit; dumque imprudentia veniam implorat, benignus pater implacabilis esse nescit. Filius meus jam sædæ conspirationis auctores indicavit, in quam perversis raptus consiliis, omnia secundum Juris normam probavit, omniaque clare perspicueque, prout in hujus generis argumento leges exigunt, ob oculos posita sunt. Pœnitente animo, anxietateque ductus, litteris ad me accesserat, quæ ad verbum sic sonant. *Domine et pater mi!* pœna me, Majestatem tuam lædens, dignum feci, patrem una & Regem meum offendi, at pœnitet me, & Majestati Tuæ strictissimam nuncupo, polliceor partitionem, nihil absque Majestatis Vestræ consensu suscipiendum mihi fuisset, at sinisteris consiliis in transversum actus sum, reos criminis indicavi, veniamque a Majestate suplex oro, facultatemque pedes osculandi; dignetur indulgere id grato animo devoto filio suo *Ferdinando. S. Laurantii die 5. Nov. 1807.*“

„*Domina & Mater!* Pœnitet me vehementissime grandis illius erroris, quo in regem & reginam patrem matremque meam deliqui; veniam quoque profundissima in subjectione eapropter oro, prout deprecor ob pertinaciam, qua nupero vespere veritati refragabar; quare ex intimo cordis affectu Majestatem Vestram imploro: dignetur partes suas apud patrem meum interponere, ut ad osculum pedum Majestatis Suæ admittere dignetur gratitudine affectum filium suum *Ferdinandum. S. Laurentii die 5. Nov. 1807.*

Harum litterarum gratia & intercessione perdilectæ Conjugis meæ motus veniam impertio filio meo, qui pristinis gratiis & favoribus posthac perfectè gavisurus est; una jubeo: ut iidem Judices, quibus Causæ cognitio principio demandata & credita est, eam prosequantur, indulgeoque iis, si opus fuerit, ut plures adhuc Collegas in subsidium vocare & adhibere possint. Porro præcipio: ut Causa cognita sententia mihi substernatur, quæ secundum præscriptum legis, pro delicti & criminis gravitate & personarum, quæ ut rei comparent, qualitate in scripturam redigenda est; in elaboratione articulorum accusationis responsa Principis occasione examinis data pro basi assumenda sunt ea propria ejus manu signata & subscripta; quod ipsum obtinet in omnibus, manuscriptis ejus in scrianis reportis: hæc decisio Consilio & Tribunalibus transmittetur meis, eaque subditis promulgabitur, ut misericordie

plenam veniam, Justitiamque perscipiant intelligantque meam, lenimenque doloris mœrorisque, in quem primum eos Decretum conjecerat, invenire valeant, quippe ex eo discrimini expositum intellexere Imperantem patremque suum, qui eos ut filios diligit, & ab iisdem ut pater vicissim diligitur.

*Subscr. D. Barthol. Munoz.*

Die 3. solennes gratiarum actiones observatum & periculo feliciter ereptum regem peractæ; eadem solennia successive in omnibus sacris ædibus per universum regnum persolventur.

### B I O G R A P H I A

Characteristicam *Henrici a Bülow* paginæ Helveticæ ad Historiam univ. novissimam ex Berolin. litteris sequente texunt ordine: *Henricus Bülow occidit*, hoc publicæ jam adnotarunt paginæ. In procinctu erant eum in Russiam deducendi, perventum Rigam usque, in qua valetudinem contraxit, extinctusque est. Pluribus annis Berolini moratus, ejus fruebar notitia, *notitiam* adpello, amicitiam dicere nequeo, hujus enim pro indole animi & vitæ quam secutus, ratione incapax prorsus erat.

„Absit ut aspernandus fuerit. Alliciens vultus, candida agendi ratio, serena indoles, libertas in sermone, omnes hæc dotes, quibus *Bülow* decoratus, citra dubium frequentes amicos eidem conciliassent, verum id ipsum, quod nulli singulari homini se addixerit,

quod ubivis sincere juxta & velociter occurrerit, neminique aditum in animum suum admiserit, quem tamen movendi mens & opinio fuit, hoc inquam ipsum causa fuit, ut quisquis indagator facili perspiceret, animadverteretque opere: Bülowium Cosmopolitam potius, quam amicum agere posse.

Amor inquam totius mundi fuit, quo Bülow animatus erat; et quo conservari voluit. Nunquam fortunas suas promoveri medio connexionis aut humiliationis contendit. Nunquam non ex penetralibus cordis prolocutus, animi potiora sui. In se situm esse centrum gravitatis arbitratus, quo vita sua niteretur, in serie suarum Idearum opes, patrimoniumque collocabat.

Quare raro temporis aliqua periodus præterit, qua Bülowius alia Idearum serie animatus non fuisset, cumque in universo mundo notas suos contempleretur, factum est: ut quisque, qui eum accesserat, ea quæ, & quemadmodum scripserat, ex eo perceperit; prout scripsit, prolocutus est etiam; jam perspicue, jam obscure, jam audacter, jam sublimiter. Equidem nullum adhuc novi scriptorem qui suis in operibus vitæ, quam secutus, rationem ad vivum magis expressisset, ac Bülowius expresserat.

Bülowium tam maturam mortem obiturum nunquam hariolabar, habita ratione, qua gaudebat, structuræ corporeæ; non morante cruda ejus vitæ ratione, multiplicibus, queis exagitatus, fatis; multis, quæ perfecit, itineribus, rerumque, quibus nonnunquam premeba-

tur, angustiis; denique quamquam quinquagesimum excesserit, erectissimo corporis habitu procedebat, alacritatemque, & vigorem tantum præ se ferebat, ut vix trigesimam ætatem vixisse visus sit.

Postremis vitæ annis scriptione operum conspicuus redditus sibi procuravit; amplissimi nihilominus proventus angustiis ejus levandis non sufficissent, in quas incurius ejus animus eum obijecerat. Nunquam non conceptis opinionibus suis quasi temulentus fuit, resque attentione digna: quod, quantumvis Bacho pluribus per diem horis litaret, nihilominus ex philosophico, quo pollebat, cæstro, nunquam ad eam quam vinum generare assolet, adfectionem gradum fecerit.

Ignoti, dum aperte, candide, nulla adjunctorum habita ratione de gravissimis argumentis in quavis hominum corona eum disserentem exciperent, aut mentis valetudine adfectum helleboro egere, aut vino paulo largius semet invitasse existimavere. At qui propius eum inspexerunt, singularem, qui animum mutare nescit, deprehendere in eo virum.

Ei quoque solum immoratus conventui, in quo singulari sua valere potuit agendi ratione, & in quo Ideis, quibus distinebatur, nihil obvertebatur; In tali cœtu adparebat, ut puerelis innocentia adversus rationabiles animadversiones in iracundiam, & adversus stoliditatem in Cachinnos prorumpat: verum ab iis tantummodo veneratione cultuque exceptus, qui ingenium ejus admirari noverunt, contra indifferenti cavillantique vultu ibi tractabatur, ubi in mente, agendi quæ ejus ratione eccentricum, quod dici solet, invenienda voluntas fuit.

Pronum fuit credere: Bülovium qui Clarissimis de re militari scriptoribus adnunceratur, multos in eo

vitæ genere viros, pro quo scripsit, patronos nacturum; sed contra obtinet; perquam raro marti deditus deprehenditur, qui cum æstimatione ejus meminisset; ejus principium militaribus ingeniis nimis theoreticum, sublimeque habebatur, & plurima pars lectorum Bülovium militarem Idealistam potius, quam practicum Tacticum censebat.

Nihilominus existimo: Bülovium certe & indubie penes excelsa Bellica Collegia adcommoationem adepturum fuisse, si licentiosa & acerba sua agendi ratio obicem non posuisset; perquam, dum se commendare admissus, consilio frustratus est; quod ægre ferre videbatur, & nunc quadam se ratione metuendum proponere tentavit; invicem rationabilium Crisiam, apices & minutias carpsit, decore neglecto: & hæc origo novissimorum ejus politico militarium scriptorum, in quibus in ratione acerbi & audacis scribendi generis Historia ejus super expeditione bellica Anni 1805 eminere videtur.

In hoc opere Bülovius litigat non modo cum belliducibus, exercitibus, Prefectis, sed cum ipsis secretis Conclavibus; vix id lucem publicam aspexerat, omnes, quibus notus erat, consilium Berolino decedendi ei dedere; verum is semper respondit: neminem lædendi animum habui, discessus Berolino hanc præsumptionem non excitet, ita pluribus ab edito opere mensibus liber & intactus Berolini oberrabat, usque matutinis horis Politia domum ejus invasit, eumque in Carcerem abduxit. „Cogitabam quidem, dicebat ad circumstantes vigiles, ita rem eventuram. Interim jam iterum aliter erit“ hæc erant verba, quibus Bülovius libertate terrena se abdicabat, cujus in sublimioribus regionibus rursus particeps redditus est.

*Pegasus* Equus Neptuno & Medusa prognatus, qui alatus ex sanguine matris prosiliit, dum Perseus ejus Caput per aera auferret — Belierophon ejus ope Chimeram interemit tum ei insidens sublime elatus, Olympum petiturus, at reluctatus, equitem dejecit, Pegasus Olympum postmodum adivit, ibique in Jovis stabulo alitur.